

sunt litterae pervenerant: jam quae erant vota ac desideria ejusdem Capituli de novo Guadalaxarae Antistite providendo, Pius Papa IX agnoverat. Eja Petre, jam te Christus vicario ore clamat: quo te vocabat retro saeculorum, in te opere complet: mitratum honorem et onus tibi Pius decernit; et Septembrali Consistorio anni MDCCCLIII, Guadalaxarensis Episcopum te constituit.

Advenit tandem felicissima dies VI Idus Januariis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto. Lactare exulta satis tu Guadalaxarensis Ecclesia: qui te rexerunt Pastores per trecentos annos et amplius sapientia praediti, sanctitate vitae praeclari, quique exempla posteris reliquerunt sectanda, ita nitenti ornatu te insignierunt, ut splendidior sole et luna fulgens appareas. Exulta et jucundare; non te putes desertam quia non vides Didacum, quia non vides Joannem, quia non vides illos per quos nata est: jam Petrus bibit de calice Antonii, tibi Episcopus est consecratus, nulli decessorum erit secundus, forma tibi erit factus ex animo. Lumen non accenditur ut sub modio nihil umbrae diffugiat; sed super candelabrum ponitur ut omnibus luceat.

Et si in Petro videritis eximium morum candorem, ut eum imitemini; invictam in laboribus patientiam, ut vos sitis patientes; intemeratam vitae, ut vos intemerati; profusam erga indigentes charitatem, ut pauperibus benefacere discatis; pastora-

lem curam et sedulitatem ovilis bono, ut vos qui oves Petri non pereatis; interritam nullisque infractam adversis constantiam, in propugnandis divinis et ecclesiasticis juribus; an non vobis mecum dicendum, quod Petrus factus forma gregis ex animo quod Paulus ad Philippenses nobis possit merito ac jure dicere: "quae didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite?" Sed ad singula et mea verba, et vestra convertatur attentio.

Primum omnium, quodque omnes non velle tantum, sed revera exequi debueramus, a quo reliqua oriebantur in Petro, quoque super custodiam pervigil stabat, erat in Deum qua flagrabat charitas et religio: ille aestuans in animo amor sese prodibat exterius. Unde reverentia eximia Petri, ad altare rem divinam facientis? Unde gravitas, decus, majestas, caeteris sacris obeundo? Quis cum videret Petrum pontificalia peragentem, aliud videre existimaret quam Oniae filium in ascensu altaris sancti, gloriam dare sanctitatis amictum, quasi ignem effulgentem et thus ardens in igne? Quoties, templum maximum quod nos circumcingis, juxta aram stantem vidisti, et circa illum coronam fratrum, quasi plantationem cedri in monte Libano? Discite a Petro, omnes qui adestis, qua reverentia ac decore deceat Deum colere, ipsumque venerari et diligere. Nullis vero laudibus erit exornare illum Petrum, si immorari libeat et contemplari, quomodo

pietatem quæ erga alium Eucharistiæ Sacramentum in corde fervebat, vellet omni gregi communem fieri, dum confraternitates ad perpetuum SSmi Sacramenti cultum, in paræciis et aliis templis vel curavit erigi, vel jam pridem erectas pie statuit fovere, et ad amorem Jesuchristi semel atque iterum excitare et allicere, ad eundem scopum magnas largitiones efficiendo. Testantur hoc ostensorium, quod gemmis pretiosissimis ornatum, huic Cathedrali donavit: vasa aurea et argentea multis Ecclesiis ad Sacra facienda quæ contulit. Quam dicite quæso mihi, qui arrectis auribus adestis, quam in tota dioecesis, sive civitatensem, sive in rure positam Ecclesiam invenietis, de qua Petrus benemerens non fuerit, dum cultum eucharisticum in omnibus vel excitavit, vel amplificavit? in templa extra urbem dioecesis principem, ab Apostolica Sede *quadraginta horarum* indulgentiam vulgo nuncupaban supplex petiit et impetravit. Ad augendam fidelium venerationem erga Panem angelicum, vestrum aliquis ignorat, quod in octavo ejusque mensis die Petrus ad infirmos salutare viaticum defferre voluit per vicos et vias hujus civitatis, quo universi cives et tota urbs commota, ita Pastoris respondebat exemplo, ut commune esset desiderium ac votum oves Pastorem imitari ac commitari, ut, qua religione decet, Deo tribuerent honorem?

Sic in alium Eucharistiæ sacramentum, quo spiritualis vita omni adminiculo fulcitur et roboras-

cit, Petrus cultum promovit; sic amoris ignem accendit: sic etiam cum impietas et hæresis nos inter ipsos nihil non molitur, nihil non tentat, nihil non facit, ut e medio tollat et auferat, si posset, venerabile sacramentum ejusque etiam memoriam ex mentibus deleat, sic inquam vos æmulantes Petrum, armari debetis, ad Dei honorem acrius propugnandum, SSimum Sacramentum totis viribus extollendo. Sed pergamus ad reliqua.

Qui diligit Filium, diligit etiam et Matrem. Qui honorandam esse matrem in utriusque testamenti pagina et præcepit, et toties inculcavit, poterit huic non placere? quocirca nihil denegat suæ Vult ergo Christus Christiadas Mariæ obsequium præstare. Amor igitur Petri in Deiparam, illi quem erga Deum, respondebat. Quæ et quanta hujus devotionis argumenta nobis et dedit, et post se relinquit? Quibus verbis, non inquam patefacere, sed saltem obumbrare sufficiam devotionem in precibus fundendis, studium in aliis venerationem promovendo, laborem ad hoc exsequendum, gaudium quo se replevit nunc jam demortuus Antistes, dum quod æstuans concupierat de immaculato Virginis conceptu tanquam catholicum dogma tenendo, de Vicario Christi in terris oraculum et accepit, et tenuit, et gestiens concredito gregi palam fecit? Felix, oh Petre, qui de Turris Davidicæ munitione protectus, vigilis custos et armatus pro Dei et Ec-

clesiæ honore semper stetisti! Ut felices et vos, Præsulis chari, quæso, vestigia indesinenter legite.

Erga Deum ac in temeratam Virginem hæc aliaque quam plurima sibi faciendum statuit et fecit Illmus. Espinosa: ad quæ in Ecclesiam et in diocesim egerit, mea pergat oratio. Ubi primum eidem cura gregis commissa, non immemor verborum quibus Servator noster parvus in diversorio, parvus in cruce, erga innocentes parvulos suum commendarat amorem, hosce sedulo curavit accedere ad Christum. Centum mille, in quibus catecheses continebantur, exemplaria, typis dare mandavit, quæ parochos monuit egenos inter pueros partienda, ut rudimentis fidei et præceptis christianæ religionis imbuerentur. Orphanotrophium hujus Metropolis ab Illmo. Joanne de Cabañas inceptum, quodque Illmus. Didacus Aranda magnifice persolverat, impense fovit et auxit; et Puellis Charitatis a Vincentio de Paul institutis demandare voluit, quod ad exitum ubi ventum, magno puerorum bono quidem fuit. Quot scholas aut erexit, aut dotatas relinquit: quot labores quot vigiliæ, pro juvenum recta institutione et disciplina! Hinc quas tunc ad sacerdotes cohortationes et monita, ut parvulis in religione erudiendis sedulos se præberent magistros: hinc quod in Tepic prima Seminarii fundamenta jecerit: hinc quod in hujus civitatis Seminario ampla statuerit studia fore. Inde vero quid? Ex ipsissimo Veritatis elloquio, et non aliunde, "Quod

minimo ex his fecistis, mihi fecistis," audivimus. Quocirca, Præsul dilectissime, Magno in cœlis ad Patris dexteram sedenti cura fuit tua tempora immortalitatis laurea circumcingere. Discamus ergo omnes et nos ut parvuli ad Christum accedant sedulo invigilare.

Quid non de clericorum disciplina, et morum honestate laboravit? Cum hi Christo Domino inter charos chariores sunt servi, quos ille de mundo segregavit, quosque delegit ut sint lux mundi, sal terræ, per quos insulsa hominum pectora sunt condienda. Antistes noster semper sat dedit rectæ institutioni et bonis clericorum moribus, sicut ministros Ecclesiæ, et ministeriorum Dei dispensatores decet. Ad hæc igitur nova quæ dedit Seminario statuta, ut sacerdotii candidati non modo sacra facerent studia ampliora, verum etiam, rerum adjunctis morem gerens, de Gallorum, de Anglico, de Græcorum idiomate, de cantu ad rem divinam solemniter faciendam a jure liturgico præscripto, de Ecclesiæ annalium cognitione ad quæ scitu necessaria viderentur, qui essent in aulis litterarum explananda et evolvenda, cathedrarios instituit. Ad hæc, in collationibus cum clericis, ad synodi diocesanae instar habitis, Vicarios foraneos ad expeditionem et rectam spiritualium gubernationem, per paroecias instituit: de morum Theologia, de Sacrorum ritibus, clericos inter se collatis studiis et consiliis, pertentare mandavit. Ad hæc nimia solli-

citudo ut clericos erigeret elisos, ad miserationem quam ad severitatem semper pronior. Ad haec clericis exercitia spiritualia parare; cujusque antequam Episcopatum gessisset, nunquam non curam gereret. Ad haec.... Verum cum sanae mentis alienum putandum quae fari nequeunt velle fari, ad alia properetur oratio.

Apostolorum fuit quocumque locorum praedicatum ire: quomodo, si aliter egissent, tam Christi verbis "euntes in mundum universum" docile praebuissent auditum, quam Servatoris ipsissimis factis, quae illis erant archetypum ac norma, morem gessissent. cum Jesus circuibat civitates et castella docens, et praedicans Evangelium regni? Illmo. Petro Episcopo, qua missione et Apostoli uti Episcopi, fungenti, dictis et factis Christi obtemperanti, corde semper extitit suam peragere dicecesim. Nonne, dicite nobis qui aut in civitatibus, aut in pagis, aut vicis, inordinata morum licentia Deo exosam agebatis vitam, nonne adventante amantissimo Petro, vos sibi caros liberos paterno visitaturo affectu, in vos etiam appropinquavit regnum Dei? Proh bone Deus! quot in sancta et pastorali visitatione vici, oppida, urbes ad pias preces, ad poenitentiae sacraeque Eucharistiae, atque ad alia pietatis christianae studia ac officia non fuerunt a Petro vehementer excitata! Quot odia extincta, quomodo vitiorum pestis propulsata, quae et quantae spiritualium infirmitatum curationes,

Quo efferam praeconio, quae Petrus nec nimborum vi, nec aestu, nec brumali tempore deterritus, iter carpens, per anfracta, salebrosa et angusta incedens, dum ad longinqua et ab urbe Metropoleos principe extima oves suas lustraturus properabat, has inter plena laudibus fecit. eisdemque contulit? An non semel atque iterum visus est visitaturus Petrus, vel ad montium cacumina ascendere, vel ad ima convallium iter emetiri, vel eo usque quo mare salsum lambit oras et tegit? Quam speciosi vobis, Nayarit incolis, non eorum pedes qui sata vestra et laetas segetes depopulantur et vastant, qui vestrum injuria nemora succendunt et arva, qui tormento bellico et armorum vi stragem tantam saepe vobis dira manu et impune fecere; speciosi veropedes vestri Antistitis. vobis evangelizantis pacem, evangelizantis bona; vobis bonum semen seminantis, scholas tenellis filiabus vestris instituentis, operariis apostolicis pro salute et vestro comodo alios adjungentis, qui vestrae infirmitati chrismate Sacramento fortitudinis providit, qui demum vobis curavit omnem languorem!

Si pervigil gregi super custodiam praesto aderat, ut ad meliora pascua oves duceret, super munitiorem Israel gradum semper vinci nescius fixit ad praeliandum praelia Domini, ut inimicorum Christi et Ecclesiae, uti patriae et societatis oppugnationes et incursus semper propulsaret. Vultis rem comprobari argumentis? Vix dum Episcopatum